Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26344
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Plane omnis terra et plenitudo eius domini est et ipse post diluuium dedit eam filiis hominum. filiis noe. dicendo. uos autem crescite et multiplicamini et ingredimini super terram. et replete eam. Sed considerandum quid deinceps actum uel dictum sit. Posteritas cham filii noe maximeque chananei cuiusque patrem chanaan quem in patre maledixit offensus noe dicens. maledictus chanaan. seruus seruorum erit fratribus suis. terram quam acceperant propter scelera sua perdiderunt: immo et ipsa terra euomuit eos quemadmodum ipse dominus cum dinumerasset ipsa scelera. ne polluamini in quid omnibus his quibus contaminate sunt uniuerse gentes quas ego eiciam ante conspectum uestrum. et quibus polluta est terra. cuius ego scelera uisitabo. ut euomat habitatores suos. Cauete ergo ne et uos similiter euomat cum paria feceritis. sicut euomuit gentem que fuit ante uos. Recte ergo suam terram dominus dixerit. quam propter iustum iudicium possessoribus ablatam sibi retinere uoluit. ut haberet in ea memoriale nominis sui. scilicet sancta sua. tabernacula et templum. ubi deberet nomen eius inuocari. IUDEUS.

Patri meo terram illam dedit. patri meo abrahe et semini eius quod semen ego sum. eodem iure quo dedit quemadmodum commemorasti filiis noe. Quomodo ergo terram illam suam diceret potius quam terras alias quas aliis hominibus dedit. XPIANUS.

Dedit quidem quia dare promisit. Si terra illa non fuit tota promissio sed quedam adiectio super. ut querentibus regnum dei quod sine dubio promissio tendebat necessarium non deesset stipendium. quia uere presentis indigebat. Cumque terram illam se daturum promisisset. indignos se fecerunt patres eorum filii iacob qui habitarent in ea. uendendo in seruum fratrem suum ioseph. Sed et hoc futurum presciebat deus. ut ingressi terram illam contaminarent eam plusquam contaminauerant gentes. Et idcirco non nisi sub conditionibus dare uoluit. hoc inter cetera dicens.